

Sibthorp, John ; Smith, James Edward [Editor]: Flora Graeca, sive plantarum rariorum historia, quas in provinciis aut insulis Graecis legit, investigavit et depingi curavit John Sibthorp: hic illic etiam insertae sunt pauculae species quas vir idem clarissimus, Graeciam versus navigans, in itinere, praesertim apud Italiam et Siciliam, invenit (Voluminis septimi - Fasciculus primus): Vol. VII.

London, 1830

Seite 19

DIDYNAMIA ANGIOSPERMIA.

3

S. frutescens vera gaudet *foliis* vix divisis, *pedunculis* undique scabris, *capsulis* verrucoso-granulatis.

a. Calyx cum pistillo. b. Flos absque calyce. C. Flos auctus, corollâ circumcisâ.
d. Capsula. e, E. Semen.

TABULA 604.

SCROPHULARIA CÆSIA.

SCROPHULARIA foliis glaucescentibus lyrato-pinnatifidis incisis, caulibus numerosis caespitosis, paniculâ abbreviatâ pauciflorâ.

S. orientalis minor, melissæ folio. *Tourn. Cor.* 9. *Buxb. Cent.* 5. 10. *t.* 17. *f.* 2.

In rupibus circa Athenas; necnon in agro Laconico et Messeniaco. \mathcal{L} .

Radix perennis, lignosa, crassa, multiceps. *Herba* glabra, glauco-virens, spithamæa, multicaulis, densè caespitosa. *Caules* adscendentes, graciles, simplices, foliosi, quadranguli; apice paniculato-racemosi. *Folia* opposita, petiolata, patentia, lyrato-pinnatifida, acutè incisa et dentata, sæpè tripartita, uncialia, vel paulò longiora; *floralia* elliptico-oblonga, integerrima. *Racemi* terminales, solitarii, breves, vix biunciales, erecti, glabriusculi, subviscidi; *pedunculis* patentibus, subtrifloris. *Bractea* lanceolata, exigua. *Flores* pedicellati, præcedentibus minores. *Calycis* margo tenuissima, alba. *Corollæ* *tubus* inflatus, rufo-virens; *limbi* laciniis duabus superioribus atrosanguineis; tribus inferioribus rotundatis, subæqualibus, albis. *Stamina* omnia exserta. *Stylus* declinatus, staminibus longior. *Capsula* didyma, mucronulata, parva.

A. Calyx cum pistillo auctus. b, b. Flos, abrepto calyce. C. Idem auctus.
d. Capsula. c. Semen.